Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus ascetico-theologicus de conscientia erronea - Cod. Ettenheim-Münster 75

Cartier, Jean-Baptiste

[S.l.], 1733

Caput 6tum

urn:nbn:de:bsz:31-108631

Visual Library

quod labor vester non est inanis in Domino. agite agite, quod quod poteritis agere, dies enim forsan non elongabuntur, quibus Deus completurus est labores vestros, o qualis et quam magna erit tunc vestra moriendi fiducia! habitrangs magnam fiduciam feliciter moriendi fervens desiderium in virtutibus proficiendi et indefessus ad meliora, probabiliora, tutiora ac perfectiora adnisus.

Caput 6tum.
De
Conscientia Lata.

Definiebamus cap: 2. conscientiam latam, quod sit quoddam judicium de bonitate operis ex levissimis et quidem cupiditati faventibus argumentis. sic vg: qui propter solam Authoritatem extrinsecam unius aut alterius Doctoris, quos constat multa improbabilia docuisse, judicat non esse contra votum paupertatis Religioso unum vg: aureum retinere absq; ulla licentia superioris, ille profecto latam habere conscientiam.

etiam qui ductus exemplo quorundam religiosorum judicat vocationi suae sufficienter consultum iri licet nullis insistat spiritualibus exercitiis, dummodo studeat mortalia vitare ~~peccata, merito protinus de salute desperare debere~~ debet. Ex quo facile innotescit conscientiam latam tantum umbram esse conscientiae, ac sectatoribus suis viam ad aeternum parare interitum; Quaterus autem id plenius intelligamus, sit

Conclusio. Quicunque operatur ex conscientia lata in re gravi peccat mortaliter. est communissima imo certa sententia.

Prob. Conclusio. Omnis ille, qui in materia gravi operatur absque judicio practice certo de honestate suae actionis, peccat graviter: atqui operans ex conscientia lata certum non habet judicium de honestate suae actionis; ergo peccat graviter. Maior est certa; quia talis se exponit periculo Deum graviter offendendi.

Prob. igitur min. ex hac ratione; quia haec propositio: Operans ex levissimis etiamsi cupiditati faventibus argu=

mentis, operatur prudenter, est
falsa; ergo judicium, quod pra-
fata propositioni ceu fundamen-
to innititur, erit etiam falsum,
ac proinde operans ex conscientia
lata judicio de honestate ac-
tionis suæ certum nequaquam
habere poterit. Cons. patet,
ant. verò à nullo negari potest,
nam actus prudentiæ non levi-
bus ducitur rationibus, sed
potiùs gravibus regitur momen-
tis.

Confirm. 1mo Quia si fas non
est, quamlibet sequi sententiam
probabilem ~~nullâ videlicet~~
~~limitatione restrictâ~~, quan-
tò minùs conscientia latam,
cum hæc utiqs plus non habeat
probabilitatis ac veritatis,
quàm illa.

Conf. 2do Authoritate S. Scrip-
tura, quæ Deut. 26. præcipit,
ut impleamus mandata ex toto
corde et ex tota anima; quæ
autem veri specie dici potest,
eum ex toto corde ~~diligere~~ implere
~~Deum~~ mandata, qui, ut faveat cupidita-
ti, illud eligit, quod dictami-
ni recta rationis minimè con-

gruere facilè deprehendit; ac consequenter Deum certò certius inde offensum iri, non animaduertere nequit. Præcipit etiam Spiritus S. Eccli. 37. ut ante omnia opera verbum verax præcedat te, et ante omnem actu consilium stabile. Non est autem verbum verax, quod reipsâ æternæ veritati aduersum est, et ut tale ~~[illegible]~~ argumentorum debilitate manifestatur.

Præcipit Sapiens prov. 6. fugere periculu, quia qui amat periculu, peribit in illo. Ille autem procul dubio periculum amat, periculoq; se committit, qui suis condescendit cupiditatibus; nulli enim minus fidendum, quam propriis concupiscentiis, dicente Scriptura: post concupiscentias tuas non eas.

Præcipit veritas Math. 7. Intrate per angustâ portâ, quia lata porta et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem. Quam angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam. at quomodo intrat per angustâ portam, qui suâ dilatat conscientiâ, ac præsertim recta rationis dictamine intuitu

propri commodi laxiorem opinionem leviusculi argumenti colore oblitam consultò eligit.

Nec obstat, quod huiusmodi laxioris conscientiæ homines ad excusandas excusationes in peccatis obtendant cuilibet actioni cupiditati faventi judicium practicum à se præmitti, ac proinde conformiter recta rationi operari.

q rempe

Nam contra est, quod judicia practica, nisi moraliter certa sint, ad colorestandam actionem nequaquam sufficiant ut ex dictis constat: Sed huiusmodi iudicia certa esse non possunt, cùm levibus fulta sint rationibus viri prudentis assensu indignis; quin imo non sunt absq; formidine oppositi; nam licet huiusmodi homines suam sententia dicam:/ torqueant conscientiam, atq; varias rationculas adinveniant, quibus rectum eius dictamen obnubilent, ne ab illius redargutionibus mordeantur, ac discrucientur, at in casum omnia, cum enim, ut ait Gregorius Nazianzenus, conscientia domesticum ac verum sit tribunal, ab eius judicij se

se neutiquam subducere ~~allent~~ valent. Humana judicia, ait Gregorius magnus, potest subterfugere malè agens sed non judicium conscientiæ; quippe secundum Apostolum Rom. 2. testimonium illis reddit conscientia eorum et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.

Cæterum ut probè discernere valeamus, quinam sint Latæ ac spatiosæ conscientiæ homines, præstat expendere quod scrupulosum inter et laxum hominem intercedit discrimen: Itaque scrupulosus est, qui timet quod alii probi pro nihilo habent; qui verò spernit, ac tanci floccipendit, quæ alii communiter censent esse peccata, laxus esse dignoscitur. Scrupulosus est, qui confessariis aut aliis viris doctis factum excusantibus non fidit; Laxus verò, qui v.g. Concionatoribus, aut confessariis diffidit æstimans eorum reprehensiones esse dumtaxat exagerationes. Scrupulosus est, qui in rebus manifestis consilium petit, iterum atque iterum interrogat, ut securior inde evadat; Laxus verò, qui proprio innixus judicio nemine consultò suarum actionum arbitrum se solum constituit.

Scrupulosus est, qui omnia du-
bie ac hæsitanter confitetur,
idem sæpius repetit, iam hæc
iam illa circumstantia aut nu-
merum recensat, nec tamen
unquam sibi satisfacit. Econ-
tra laxus est, qui in confiten-
do non multum laborat in ex-
primendis circumstantiis etiam
speciem mutantibus, nec multu
anxiatur circa numerum pec-
catorum exponendum. Scru-
pulosus est, qui in omnibus ita
hæsitanter procedit ut etiam
communi doctrina theologorum
seu sapientum judicio non cre-
dat, sed semper evidentias et
demonstrationes habere ad la-
boret; Laxus verò est, qui
præcipitanter agit contentus
si vel tenuia probabilitatis ar-
gumenta de honestate actionis
sua habere queat. Scrupulo-
sus est, qui anxiè suas preces
persolvit, saepiusq; pro atten-
tione habenda subsistit, ac pesta-
[illegible] repetit. Laxus verò est, qui
velociter ac perfunctoriè pres
criptas preces deproperat, sine
causa interrupit, inter oran-
dum hinc inde oculis huis vaga-
tur, atq; cum aliis confabulatur
Et ita de aliis materiis; Atq;

ex his non solu intelligimus, quis nam latam aut scrupulosam sit: de qua plura sequenti capite: si habeat conscientiam, verum etiam dignoscimus, quinam timorata ac bene formata sit conscientia, nempe qui in his aliisq; medium tenet: Vide si unquam alicubi vel hic maximè adaptari potest illud Poeta: medium tenuere beati.

Reflexio

Fundamentum et radix omnis Lætitiæ seu Latæ conscientiæ cupiditas est ac desiderium terrenarum; hæc enim animum facile eo impellant, ut rationes excogitet, quibus eorum usum sibi licitum esse falsò persuadere queat. Quamobrem ut quis coercere valeat Lætitiam aliò opus non est adminiculò, nisi ut refrenet cupiditatem, sic enim extirpatio cupiditatis fiet extirpatio Lætitiæ.

Et ob hanc causam unumquemq; nostrum seriò adhortatur S. Scriptura: post concupiscentias tuas non eas Eccli. 18. noli videlicet concupiscere quod non licet habere. Dimitte transitoria, quære æterna; hæc enim satiant, illa verò cruciant, trahunt

ait Author libri de imit. Christi,
de Sideria sensualitatis ad spiri-
andum. Sed cum hora transiens
quid nisi gravitatem conscientiæ
et cordis dispersionem reportas.
Opportunè ac eleganter D. Ber-
nardus Epist. 103. Si lapis, in-
quit, si habes cor, si tecum est
lumen oculorum, desine ea se-
qui, quæ et assequi miserum est.
Beatus, qui post illa non abiit,
quæ possessa onerant, amata
inquinant, amissa cruciant.
Hæc cum Henricus Suso vir
sanctissimus quondam attentâ
consideratione ac seriâ mente
revolveret, Deum affatus in
hæc excurrit verba: "Profecto
"Domine res est lamentatione
"digna tot corda sancto amori
"aptissima .... se in tantam vili-
"tatem abiicere, ac sua sponte
"perire. Credo sane, si te
"omnium interni oblutus ita
"cernerent, ubi ego te intueor,
"caducum omnem amorem eve-
"digio in illis extincto iri. Mi-
"rari satis nequeo Domine: si-
"vel quondam longè aliter af-
"fectus fuerim si posse animum
"cuinquam ulla alia in re,

» quam in te vastissima abysso
» acquiescere. O bonum incom-
» prehensibile medullitusq; am-
» plectendum, quam bene agi-
» tur cum ea anima, quæ te uni-
» cè amat, quantum illa ex te
» cœlestem et mellifluam hau-
» rit consolationem, quanta amo-
» ris dui capit secreta blandi-
» menta? Hæc ille apud Blos.
» in Seriniol. Spirit.

Sitiam ut Christiane ad hæc
cœlestia blandimenta inardes-
cat animus tuus, delectetq;
mentem magnitudo superna
dulcedinis, ne te detineat
certamen Laboris; Priùs nem-
pe mortifices oportet tuos inor-
dinatos affectus, coerceas cu-
piditates, refrenes Lætitates,
verbò exuas conscientiæ La-
tam. Unde pro viribus tibi
adlaborandum, ut omnia illa
falsa principia ac dictamina,
quæ tuam dilatant conscien-
tiam, radicitus è corde tuo eval-
lam, utq; per angustam por-
tam ad illas peroptatas delicias
pertingere ~~potuis~~ queas. Crede enim
æterna veritati dicenti: quod
arcta via sit, quæ ducit ad vi-
tam, et pauci sint, qui inveni-
unt eam. Math. 7.

Jam quomodo non times, quomo-
do totis artubus non contremis-

cis tu, qui per latam portam ac spatiosam viam, quæ ducit ad perditionem ambulas? Ah unica tibi est anima, cuius saluti consulenda omnes adnisus tuos impendere te oportet, et tamen, quàm rara, quàm modica, quàm remissa pro eadem sunt opera tua: Vnica est, quâ perditâ omnia sunt perdita, idq; irrevocabiliter in omnem æternitatem, ita quidem, ut per eam futurus sis miserrimus, flammisq; inextinguibilibus cruciandus. Hæc cogita, hæc seria mente pervolue, sitq; anima tua in manibus tuis semper, ut vivas Deo, vivasq; æternitati.

Caput 6tum.
de
Conscientia scrupulosa

Quandoquidem conscientia scrupulosa instar horrifici spectri iis, qui in Christo Jesu pie vivere volunt in via salutis se spectabilem præbet pannicumq; terrorem incutere solet; hinc non abs re erit, si omnem impendamus operam, quatenus